

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Humilitas o
cum fonte primo

Quia origo uirtutis humilitas est,
illa in nobis uirtus ueraciter pululat,
que in radice propria, id est in humilitate, perdurat.
A qua nimirum, si absciditur, arescit,
quia uiuificantem se in infimis humorem caritatis perdit.

Gregorius libro XXVII. moralium.

Quia enim origo uirtutis humilitas est,
illa in nobis uirtus ueraciter pullulat,
quae in radice propria, id est in humilitate perdurat.
A qua nimirum si abscinditur arescit,
quia uiuificantem se in intimis humorem caritatis perdit.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 27.46 (CCSL 143B,
M. Adriaen ed., p.1390, ll.44-47).